

AK. 532, 10.

B. m. T

II d  
386

AD  
PERFECTIONEM GERMANICAЕ LINGVAЕ  
QVOD TRANSLATIONES EX GRAECIS ET LATINIS IN HA  
VERNACVLAM NOSTRAM MVLTVM VALEANT,  
EXPONIT,

SIMVLQVE X23A3054  
SVMME REVERENDVM  
**DOMINVM EPHORVM,**  
**INSPECTORES RELIQVOS**  
IN SIGNITER COLENDOS,  
ALIOSQUE  
**BONARVM LITTERARVM FAVTORES,**  
C V M

CIVIBVS VRBIS,

V T

**ACTVI ORATORIO,**

CRASTINA LVCE, AVDITA HORA IX. MATVTINA,  
D. II. MART. MDCCCLIII.  
HABENDO,


BENEVOLE INTERESSE VELINT,  
QVA DECET OBSERVANTIA,  
ROGAT ET VOCAT,

**ADAM DANIEL RICHTERVS,**

RECT. SCHOL. ANNABERGENS,  
ET REG. SOCIET. REGIOMONT. TEVT. SODALIS.

\*\*\*\*\*

ANNABERGAE,  
EXCVGIT AVGVSTVS VALENTINVS FRIESE



卷之二十一

OTTO BIEBER



um haec constituta ratio sit rerum, quarum in libera consuetudine ponitur omnis elegantia vel dignitas, non est id quidem mirandum, quod semper alia in morem veniant in negotio eruditio, vel tamen maiorem vim habeant ad gloriam: difficile enim dictu est, quantopere gaudeant in perpetuum lasciva prorsus mutatione labores eruditorum. Quum etenim sint plura artium disciplinarumque genera, quae eruditionem augent, multique multum se arbitrantur adeptos et ad philosophandum et ad exponendum, magna attamen hoc tempore est admiratio eorum, qui in vernacula peregrina transferunt, quorum translationes multi, qui legunt, eos intelligere et sapere plus, quam ceteros, proni ad haec credenda existunt. Nec tamen, ut praepostera huius negotii diligentia fugienda est, item habendum est religioni, omnes versiones, modone pueriles et iusto minus verba peregrina exprimentes, defendere. Vult hoc vernacula nostra, ut tali ratione perficiatur, patitur eruditorum recepta consuetudo, fert etiam varia, quae inde fluit, doctrinarum utilitas. Nam peregrini libri, nostra lingua loquentes, semper habent certissima argumenta ad probandum, quam satis apta vernacula sit ad perspicue eloquendum, et qua aestimatione praestantia illius iudicari possit; quod scribere non auderem, nisi idem placeret grauissimis restauratorum linguae nostrae germanicae, viris eruditis. Maxime autem et gloria eruditionis id patitur et communis utilitas, ea que maior, si quando accidit, ut eos de peregrinis libris conuertant, qui rerum libertate, et ad intelligentiam augendam, et ad mores formandos, quae magis proficiae sunt, scatere videantur. Prima igitur translationum ex peregrina lingua commendatio proficietur a vernacula tum nostrae, tum aliis cuiusque gentis. Facillime enim, qui peregrina multa sua vernacula tradere so-

(\*) 2

lent, in optimam partem cognoscunt, quae in lingua sua vocabulorum, et quae formularum copia sit, vel potius penuria, ut sua absolutio perfectioque in oratione, quia aliquam multa adhuc desiderantur, nondum constare videatur. Et quoniam pauci sunt, qui peregrina intelligentia vel loquuntur, omnibus omnino illis praecellare consultur, quando consuetudini suae ista tradita, sibi datum esse, ut legant, intelligent.

Sed generatum exposita versionum ex peregrinis utilitate, quae valet praeter mores ad facultatem linguae et ad intelligentiam rerum, deinceps separatim de translationibus ex Graecis et Latinis dicendum est. Cuius rei est ratio iterum duplex. Nam Graeci et Latini aut lingua ipsa nos in vernacula prae omnibus reliquis adiuuant, aut, praeter morum elegantiam, intelligentiam ipsam rebus. Quanquam enim Galli, Itali et Angli, in utroque multam excellunt, tamen ex Graecis et Latinis magis naturalis dicendi ratio depromitur. Ex eorum etenim lingua melle dulcior fluit oratio, qui semper verbis, quibus sua suis limitibus circumscripta significatio est, maximopere perspicuis videntur, et in quibus ista praesertim verborum consecutio est, ut nunquam in coniunctis, quod non sit consequens, vituperare possit. Omnia omnes quod semper pleniori ore eloquentur et rotundo, quis nescit? Deinde rerum cognitione et subtilitate paratores erunt et tanquam fertiliores ad erudiendum, ad morum integritatem efficiendam, et ad bene de ingenii acumine promerendum. Quamobrem id quidem non dubium est, quin haec ista eruditiorum opera, qua Graecos Latinosque, quorum scripta graece et latine non intelligentibus quasi in thesauro latuerunt, et latent, rerum et bonarum artium scriptores antiquos in vernaculam transferunt, honestior sit et latius pateat, et possit prodesse omnibus. Sed quum multa sit in Graecis et Latinis vernacula traditis grauis et communis utilitas, latissime patere videtur praesertim ea, quae linguam nostram germanicam profecto tali interpretatione efficiet pleniorem.

Et sic omnis haec nostra disputatio de eo futura est, ut intelligamus, quid valeant ad perfectionem germanicae linguae translationes ex Graecis et Latinis in hanc vernaculam nostram, etiam nunc amplius instituendae. Sed nos iam non anquirimus aut consultamus, ad institutionem rerumque cognitionem, ad morum disciplinam, ad linguarum scientiam, ad styli facultatem utramque, quibus se possint ad omnia reddere aptiores, conducat id, nec ne, aut quantum conductat, quum pueros et iuuenes suas in scholis Graecorum et Latino-rum translationes in vernaculam sustinere oportet, quae deliberatio omnis a Praeceptoribus scholae saepius accurate fatis et copiose instituta est. Ex supra enim breuiter disputatis facile intelligi potest, quod omnis haec nostra qua-

V

stio modo posita sit in *opera* et labore virorum doctissimorum, quorum per-  
tia non in graecis solum et latinis, sed facultas etiam dicendi in vernacula in-  
signis habenda est. Non autem multum nobis, nouerint enim omnes, decla-  
randum esse duximus, quod cuiuslibet linguae perfectio haec sit, vt in satis  
magnō apparatu verborum et dictionum explanationem omnium rerum pro-  
fiteatur, melioris quidem farinae, et proprietatem verborum, quae non qui-  
dem ad nomen, sed ad vim significandi referantur, non auditu, sed intellectu  
perpendenda, et vt in consecutione verborum, quo in suis intercisis, et hol-  
rum etiam, quo in integris suis comprehensionibus, graece Periodis, fluunt,  
et qui nulla insolentia et turba eorum, quae sequuntur, orationem perturbare  
possit, ordinem diligenter conseruet, ita quidem, vt satis sufficiens atque  
idonea sit, ad omnia, quae prorsus fieri, vel cuidam offerri possunt, omnes  
res, quas agunt, quas patiuntur, atque omnes rerum formas, quas animo  
comprehendimus, atque imagines, graece ideas, perspicue, proprie, signifi-  
cantur et ornate, absque omni quidem circuitione et anafractu verborum, sine  
difficultate, maxime explanandum. Quid est igitur, quod nos impedit,  
translationes, quae graeca et latina germanice reddunt, collaudare, quum  
certe nulla alia re magis, quam his quidem, linguae germanicae perfectio  
concilietur absolutioque.

Prima autem, de qua nunc agamus, ea ipsa huius instituti utilitas est,  
quae ad copiam verborum et dictionum in vernacula nostra adaugendam plu-  
rimum valet. Etenim illud ipsum, quod Graeci et Latini multas res expo-  
nunt, quae nec visu, nec auditu, vel tactu, percipiuntur, quae in animo  
versamus, rerum imagines, quas intelligendi gratia animus in cogitando se-  
parauerit, etiam in illis, in quibus nullum discidium est, quia sciuncta esse  
non possunt, praeter alia multa, quae apud nos iam non sunt, haud contem-  
nendum esse puto. Ex hoc etenim efficitur, vt, qui graeca et latina germani-  
cicis verbis conuersa dicere velit, omnem diligentiam ac curam adhibeat, vt  
in omnibus nec plus nec minus dicat, sed graeca vel latina ita germanice red-  
dat, vt non solum optimis verbis vtatur, at tamen vistatis, sed etiam ex-  
primat quaedam verba imitando, quae noua nostris sint, dummodo sint idonea,  
vel verbis etiam et dictionibus iam extra consuetudinem positis, et sic in-  
vsum denuo reuocandis, modo vt, omni audacia, quae effrenata et iocula-  
ris est, seposita, linguae castitas et conuenientia, quam analogiam dicunt, di-  
ligenter custodiatur.

Iam vero et huius rei, quod vehementer multis Synonymis, quae ex  
Grammaticorum mente vocabula sunt idem significantia, vernacula nostra

abundare quidem putetur, et verbis etiam, quorum vis ac potestas adhuc vaga, et ad certos suos limites nondum accurate satis constituta esse videatur, vt in eo genere laudanda non sit laudis, quod aptum et congruens in oratione nominent, quem praeterea ex verborum delectu perspicuitas nascatur, qua nihil clarius est, reprehensio certe nulla erit, quando viri eruditii graeca et latina ita nostro germanico sermone tradant, vt perspicaciore cognitione vtan- tur, quae in sermone nostro differentia sit. Eademque ratione semper sua suo loco et propria verba adhibebunt, et in felicibus vocibus, quae aliis magis sint propriae ac significantes, humiles, graues, sublimes, leues, honestae vel obscenae, quiique earum ambitus sit cum statu rerum, quae extra esse putantur, facilime videbunt. Ita enim Graeci et Latini omnia proprie dicunt, ut nihil inueniri possit significantius.

Et quis est vere eruditus, qui libros Graecorum et Latinorum legerit, cui in iungendis verbis integritas castitasque non cognita sit, vt sic etiam ex versi- onibus Graecorum et Latinorum satis magna utilitas redundare possit in no- stram vernaculam, vt in copulatione et coagmentatione verborum maiorem diligentiam adhibeamus, si quae in ista ratione adhuc peccata sint, in poste- rum emendaturi.

Sed quomodo in omni vita rectissime praecepitur, vt, quae perturbata sint, fugiamus, sic eiusmodi perturbationibus omnis sermo, qui de sua per- spicuitate gloriari cupit, vacare debet. Maxime autem Graeci et Latini in cogitando et ponendo ordinem naturae seruant, vt, quae prima sint, iis pri- mas semper concedant, quae linguae sanctior quaedam et interior perfectio a plerisque germanicis nostris, quamvis latine eruditis, prorsus ignoratur. Quam quidem ad rem, vt scopas dissolutas in vernacula nostra alligemus, cal- cem arenae misceamus, iis, quae sua quadam ratione prius sunt, priorem lo- cum concedamus, et, quae natura iuncta et copulata sunt, una verborum comprehensione coerceamus, magnum afferent adiumentum nobis germanis Graeci et Latini, quando in ipsis transferendis in vernaculam nostram haec noi- bis huius rei diligens erit cautio.

Equidem illud etiam animaduerto, quod eadem ratione germanis in ver- nacula sua prorsus incognita res sit, quod aures, vel animus, autium nuntio, naturalem quandam in se continet vocum omnium mentionem. Duae apud Graecos et Latinos res sunt, quae permulcent aures, sonus et numerus. Vi- dendum est igitur etiam illud in interpretatione in Graecis et Latinis germani- ce instituenda, vt haec tandem pulchritudo sermoni nostro concilietur vernaculo. Haec autem omnia facili negotio fieri poterunt, si quis satis idoneus

interpretis semper in animo, aurum nuntio, mentionem omnium vocum graecarum et latinarum, quas germanice exponit, metietur, ut itidem in vernacula verbis vtratur, praesertim ubi pondus ineft in sermone, quae sono quasi et, in sua consecutione, apta conuenientique longarum et breuium syllabatum coagmentatione res significatas indicant, ut clare, atque ut cerni videantur, de quibus sermo est, eleganter enuntiet. Quo circa nec proprietatem ita amabit, ut semper verbis primae significationis, sed aliquando translatiis, quando illa suauitati sermonis plane et aperte aduersentur, vel saltem eam non satis efficiant, et, quantum id fieri poterit, istis ipsis vernacula traditis praefertim, quibus Graecus et Latinus, quem interpretatur, animi sensa pulcherrime eloquutus fuerat, vtratur, nec eam quidem, quae naturalis est, verborum consecutionem omni loco obseruabit, sed, ut positus verborum magis aptus enascatur numero, omnia, quae cum sermonis opportuna in ordine mutatione mutari possunt, quoiam sermonem numerosum retardant, alio ordine ponendo, noua alia idonea verba interponendo, nimis aspera et dura recidendo, atque partes orationis inter se permutando, quod illud duplex suavis orationis et numerosae apud Graecos et Latinos adiumentum est, vernacula nostram elegantiores efficiet. Aliter enim teneri non potest, si qua ad perfectionem nostrae linguae germanicae est facta progressio.

Sed haec quidem de iis, quae, translatione Graecorum et Latinorum ad magis perficiendam nostram vernaculam, existimantur proficia. Ex quibus omnibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus quaeque utilitates ex occupationibus iis, quibus detinentur in transferendis Graecis et Latinis in germanicam linguam multi homines eruditii, percipiuntur, eas nos nulla alia ratione, sine ista diligentia atque opera, in perfectione patrii nostri sermonis, cui nihil addi possit, constituenta, capere potuisse. Et haec haec tenus, in quibus nostri sermonis nativi praeclara emendatio est. Nam, ut ne destinata in hoc genere scriptioris, quam suscepit, exsequenda ex oculis prorsus amittam, nunc ad iuuenes scholae nostrae, eosque egregiae indolis magnaque in litteris diligentiae, accedo, qui e coetu nostro publice iam dicere exoptant, et quorum vocabula, quibus nuncupantur, haec sunt:

I. CHRISTIANVS GOTTL OB VHICHIUS, Annaemontanus, Candidatus Academicis brevi adscribendus, *Oratione Latina* demonstrabit, quod sub sellia scholae prius sat din seduloque premenda sint, quam quis ad altiora abire audeat, scholae nostrae ultimum Vale carmine vernaculo sub finem huius Actus Oratorii acclamaturos. Hic iuuenis bona spei quum a primis statim pueritiae annis pars in schola nostra discentium fuit, pietatem, diligenciam et modestiam Magistris semper approbavit, ut tua ipsi, quam meretur, profecto laus non deneganda sit. Studiorum fundamenta ea

fecit, et in linguis eruditis addiscendis pro viribus ita efficaciam suam complevit, monitionum nostrorum semper patiens, ut non sine fructu cum schola Lipsiensi viuueret An-  
nabergensem nostram particularem commutare posset. cui sub discessum omne felicitatis  
genus apprecamur.

II. CHRISTIANVS ELIESER GENSELIUS, Annabergensis, *Oratione Graeca* diligenter probabit, quod vtile sit Iuuenibus litterarum studiofis cum maioribus natu, viris eruditis, conuersari, carmine germanico abiturientibus faustissimos viales nomine omnium insimilis appretacatur, Iuuenis, qui pro naturae egregiis dotibus in stadio litterarum ipse acerrime occupatur.

III. CHRISTIANVS EPHRAIM GENSELIUS, Annabergensis. *Carmine Latino*, in quo paucendo a natura non infelix est, Heroico, *Culturam Lini in montibus nostris* non sine laude decantabit, in cultura ingenii ipse diligens admodum jet fedulus.

IV. HENRICVS POLYCARPVVS RABENSTEIN, Annemontanus, *Oratione Graeca* affirmabit, quod studiofis in Academia viuenti lucubratio matutina utilior sit nocturna, qui itidem carmine teutonico nos iubebit valere. Laudamus Iuuenem praeclare indolis, praeclara stirpe progenium, dignum Academiae Candidatum, *Viri maxime Reuerendi*, Domini M. IOANNIS HENRICI RABENSTEINII, Archidiaconi apud Annabergenses longe meritissimi, optimi, filium, magnam sui qui expectationem facit. Hic enim cum a pueri in schola patria dicit, ita semper litterarum deliciis, domi etiam, si quid vacui temporis superfuit, vinece vacauit, vt, feliciter in linguarum et scientiarum, quas schola inculcat, cognitione progressus, cum omni laude ad Academi sylvas nunc euolare queat. Faxit Deus feliciter, ut hominum societati olim saluti, in patria, aut alibi, et Praenobilissimis Parentibus gaudio sit. De hoc enim filio, haec mea spes est, *Parens maxime Reuerendus* vere praedicare poterit: meus non degenerat.

V. IOANNES GODOFREDVS HAHNIUS, Annabergensis. *Oratione Latina* euincere studebit, quod litterae humaniores a studiofis superiorum Facultatum in Academia adhuc diligenter tractandae sint, Iuuenis in humanioribus studiis, quae schola docet, ipse assiduus valde et diligens.

Quia autem nemo Poetarum Latinorum, quod quidem nouimus, adhuc fuit, qui honorem telluris nostrae in Cultura Lini versibus describere voluerit, Carmen illud GENSELII nostri, Iuuenis gnaui et probi, de Cultura Lini in montibus nostris, Heroicum, quod iam supra, in Pythia nostra domo crastina luce memoriter pronunciandum, indictionum est, indictione huic nostro Programmati, typis exscribendum, non ostentationis ergo, sed ut Iuuenis diligentiae suae specimen habeat, adiecimus, cuius verba sic habent:

CHRI-

\*\*\*\*\*  
 CHRISTIANI EPHRAIM GENSELII  
 CARMEN HEROICVM  
 DE  
 CVLTVRALINI  
 IN MONTIBVS NOSTRIS.

---

Pondera suscipio nostris grauiora lacertis,  
 Audeo cum patriam iuuenis cantare benignam.  
 Ardua namque canam, Flacci quae digna labore,  
 Quae doctus Naso cantaret carmine pulchro,  
 Et quorum laudes celebraret Musa Catulli,  
 Cum laudes patriae cantabo poëmate magnas.  
 Hinc, quod suscipio tam magnum pondus onusque,  
 Adspirate mihi, Musae, iam numine vestro.  
 Si vos, Castalides, mortalia carmina tangunt,  
 Pondera ne subigant me iam suscepta, cauete,  
 Pondera, quae vires iuueniles ferre recusant.  
 Nam quum diuitias patriae iam dicere tento,  
 Obruit ingenium series amplissima rerum,  
 Nosque tacere vrget, quod nostra scientia nescit  
 Res tantas patriae cantare, poëmate digno.  
 Sunt etenim montes, generosaque viscera terrae,  
 Syluarum frondes, fontes et purior aura,  
 Innumeræ volucres, magnus numerusque ferarum,  
 In syluis alimenta quibus dat patria tellus,  
 Diues agri, diues nemorum, ditissima frugum,  
 Omnia quae magno mihi carnine digna videntur.  
 Qua ratione tamen cantabo poemate vili  
 Omnia prolixæ, quae profert patria tellus?  
 Non mea Musa canet, mea patria quomodo creuit,  
 Non aedes virbis, quae stant, ybi sylua virebat,  
 Olim quae souies nigris secura latroni  
 Tecta dabat, fuso quae densa cruento tepebat.  
 Viscera non dicam patriæ pretiosa benignæ,

(\*\*)



X.  
Viscera, quae pretiis toti sunt cognita mundo, \* \* \* \* \*  
Quaeque metalla fount, variis circumdata saxis,  
Quae rapiunt homines, sudore fluente per artus,  
Findentes ferro, flammis et puluere saxa,  
Quae multo multis praebent alimenta periclo.  
Non dicam fruges, diuersaque nomina frugum,  
Naturam taceo campi, cultumque locorum.  
Nec sunt syluarum frondosa cacumina, versu  
Quae mea Musa canit, non frondes arboris altae,  
Quae sylvas foliis et densis crinibus ornant,  
In quarum celsis suspensa cubilia ramis  
Aedificant volucres syluae, nidosque cauatos,  
Qui multis resonant volucrum de cantibus alti.  
Non describo feras, ramosaue cornua cerui,  
Non ceruas, vrsos saeuos, leporesue fugaces,  
Non vulpes, rapidosque lupos, aprosue timendos,  
Pluraue, quae patriis habitant animalia syluis.  
Non canto vires vndarum, fontibus ipsa  
Quas natura dedit, multis fecitque salubres.  
Plura quidem video, magno quae carmine digna,  
Quae mea Musa tacet, ne sit fiatque molesta  
Ingenti serie, longaque ambagine rerum,  
Ast, vt lina colant, cantabo poemate vili.  
Sed quum constitui patriam cantare benignam,  
Oro subnixe Te, docta corona Virorum,  
Et vos, qui mecum Musarum discitis artes,  
Ne me spernatis, si peccet lingua canendo;  
Versibus, oro, meis aures praebete benignas,  
Ne cantem surdis, patriam cum carmine canto.  
Sunt igitur quae iam, cum linis, linteal dico,  
Quae, quantum potero, describam carmine laeto.  
Qvando tepent iterum Zephyris spirantibus aurae,  
Alma parens quando se vestit cespite tellus,  
Quando celsa comas vmbrosas induit arbor,  
Luxuriantque greges pingues in gramine paruo,  
Tunc properans tauris inuertit rusticus agros,  
Vomeribus glebas fulcat finditque iacentes,  
Incipit et pingues cinerem iactare per agros,

Et siccis saturat non parcus stercore pinguis.  
 Nam non est idem cultusque habitusque locorum,  
 Vna nec in nostris regionibus omnia tellus  
 Profert, hic sed ager quod gignit, denegat alter.  
 Nam velut ingenium non quodlibet omne capessit,  
 Hic quum tempus agit cantando carmina pulchra,  
 Tunc reliqui certant armis, vel membra fatigant  
 Languida nocturnis dapibus, vinoque diurno;  
 Sic quoque non omnes agri cum scenore magno  
 Lina ferunt, pingues sed agros sibi rusticus aptat,  
 Si gaudere cupit liniorum messe secunda,  
 Quorum larga seges campos exsiccat et vrit.  
 Sed redeo, vnde fui primum digressus, ad agros,  
 Qui ne sint madidi, caueant stagnante liquore,  
 Ast erit ad lini segetes ager aptus aprius,  
 Qui tamen est manibus filici purgandus ab omni,  
 Ne lasciuia filix, folii pinguedine, caules  
 Opprimat istius teneros. Haec eruta campo  
 Colligitur rastris in aceruos, hosque iuuentus  
 Ignibus incendit, de parto lacta triumpho,  
 Ore, manu et pedibus puerilia gaudia prodens,  
 Scilicet ingentem quod campi vicerit hostem.  
 Vix pedibus, credo, sic exultasse Pelasgos,  
 Flammis cum possent delere palatia Troiae,  
 Igni quam filicis lactatur saepe iuuentus.

Sed quum iam tango lini cultumque satumque,  
 Optima, describam paucis, quae semina dicant.  
 Palmam, Ruga, tibi tribuunt: tua semina nostri  
 Praeponunt reliquis, et quae iacuere per annum,  
 Haec praestare putant, quae primo vere per agros  
 Terrae mandentur. Veluti nam corporis artus  
 Insomnis, cura nimioque labore, fatigas,  
 Sic ut ferre negent consueto more laborem;  
 Sic quoque, quae iusta non gaudent lina quiete,  
 Non hilarare valent cultores messe secunda.

Semen quando suum curuatus sparxit arator,  
 Non inhumata manent dispersaque grana per agros,  
 Quod sic sine essent raptusque cibusque volucrum,

(\*\*) 2



- Egen.  
 Et parcos taules proferrent semina sparsa,  
 Hinc occat segetes, inhumans quasi dentibus occas;  
 Sed quae sit facies occae, vis formaque, dicam.  
 Ordine coniungunt certo cubitalia ligna,  
 Lignaque ferratis armantur dentibus, agri  
 Qui glebas, culter quas non sulcauit aratri,  
 Immainuunt, ab equo tracti vctique per agros,  
 Er dispersa tegunt fulcatis semina glebis,  
 Occaecantque quasi, qui fons quoque nominis occae est,  
 In terra vt lateant, segetis dum culmina parua  
 Erumpant, matrem frangentia cuspide terram,  
 Efficientque suo numero, sperare secundam  
 Agricolam messem. Sed cum creuere parumper,  
 Turba virum, iuueniumque chorus, teneraeque puellae,  
 Unkraut. Quisque mouet corpus, lolium qui noscit agrorum,  
 Procumbunt in agris, et, quod mirabile dictu,  
 Artus proiiciunt in mollia culmina lini,  
 Euelluntque agris herbas floresque nocentes,  
 Zäten. Non secus ac examen apum considit in Hybla,  
 Et mel dulce legit, confuso murmure, florum.  
 Post, ubi desistant sensim succrescere caules,  
 Knotten. Floribus amissis, crescunt cum semine nodi,  
 Nigrescuntque simul, granorum pondere magni,  
 Raufen. Tunc flauelentes caules, cum semine nigro  
 Euulsoz terris, in fasces necete mos est,  
 In sua quos referunt crepitantibus horrea platistris,  
 Riffel. Dum veniant dominac, famuli, seruique nurusque,  
 Dentatoque suo depestant semina ferro.  
 Quomodo nunc lini describam semina pectant,  
 Formam designans dentati carmine ferri.  
 Est ferrum longum, directis dentibus arcte  
 Dispositis, vt dens primus radice secundum  
 Attingat, dentem vt tangat dens ferreus istum.  
 Sed non continuo cuncti stant ordine dentes,  
 Händel. Nam rumpunt seriem quinque internalla, laborera  
 Hic ne vicini tardet, quod quinque frequenter  
 Vno dicta simul depestant semina ferro.  
 Hoc ferrum gaudet spinosum finibus vincis,

Ut possint, istud tignis affigere celsis.  
 Quod cum firmarunt in tigno, finibus vncis,  
 Per dentes ferri ductae mercede ministrare  
 Lina trahunt, dum grana cadant et semina scissa,  
 Quae delapsa tegunt terram, velut arboris altæ  
 Poma cadunt, terramque tegunt, si turbidus Auster  
 Incuruat frondes, pulchrisque immurmurat hortis,  
 Quos nudat flatu cum pomis floribus altis,  
 Post nodi in tabulata domus ponuntur opimi,  
 Sic tamen ut nodus nodum vix cortice tangat.

**Flachs breitzten.** Sed caules lini rari ponuntur in agros,  
 Quos falx gramineis priuauit floribus atrox,  
 Sic vt confusa crescentia, grama lina  
 Culminibus teneant, ne tollat turbo procellæ  
 Ista sua rabie, nec perdat sparsa per agros,  
 Aëre quaë coeli vario macerantur in agris.  
 Nam si perpetuos dimittit Iupiter imbres,  
 Nec nubes Phœbo pelluntur, lina nigrescunt,  
 Et lini membrana putris non sustinet ictus.  
 Malleoli crebros, cum stupra decidit omnis.  
 Nec prodest, campos ardens si Syrius virit,  
 Sed si post radios Phœbi modico imbre rigantur  
 Per mensis spatium, vel quadraginta dierum.  
 Nam non pro lubitū tolluntur lina, sed adsunt  
 Signa, quibus iustum cognoscunt tempus adesse.  
 Scilicet incipiunt caules canescere, cum fit  
 Aëre laxa in agro caulis membrana iacentis,  
 Sic vt cum frangas calatum, siccata medulla  
 Frangendo, scissis membranis, excidat vltro,  
 Admoneatque dominum dominum sua lina referre.

**Flachs aufheben.** His igitur signis dominus monefactus, in agrum  
 Prodit cum famulis, vt tollant, sparsa per agros  
 Quae iacuere fatis, quod sit ratione sequenti,  
 Post aliam tollunt aliam seriemque sequentem,  
 Quas in fasciculos manuales necdere mos est.  
 Post e stramineis contorquent vincula culmis,  
 Fasciculosque solent compressos necdere vinclo,  
 Vno straminco, serui bis quinque duosque,

(\*\*) 3

Quos altos ponunt in currus ordine certo,  
 Fasciculi ut primi radices culmina tangant  
 Alterius, scalis sed plenis ponere pergunt  
 Transuersim fasces, qui sic tolluntur in altum.  
 Sed ne, cum fasces crepitantia plastra reportant,  
 Ictibus innumeris lapidum, saltuque rotarum,  
 Fasciculus forsitan de curru decidat alto,  
 Flexilis in plastrum trabs ponitur arboris altae,  
 Quae laqueis, ut lina premat, firmatur vtrinque.  
 Sed quia tunc frugum reliquarum messe tenentur  
 Ruricolae, interea sub tecto lina quiescunt  
 A pluviis, aestu Phoebi et rubigine tutae,  
 Expectantque diem, quo deducuntur equorum  
**Dörrhäus.** Viribus ad testum, testique calore furenti  
 Torrentur. Flamma ut variis aptentur ad usus,  
 Fasces in cameram pede festinante feruntur,  
 Ignibus incensis quae feruet nocte dieque,  
 Agmen seruorum portando membra fatigat,  
 Obnixis humeris fasces ancillaque multos  
 Imponit collo, laqueo vel contrahit arcto  
 Fasces nonnullos, validis robusta lacertis  
 De celsis alios plaustris cum deiicit ista.  
 Castigatque moras dominus, castigat herilis  
 Foemina, si quis opus, manibus pedibusue retardat,  
 Et laudat gnauos verbis, ut laudibus horum  
 Tardos instiget. Pedibus sic semita feruēt  
 Festinis famuli gnaui, celerisque puellae,  
 Non fecus, ac quando formicæ farris aceruum  
 Deuastant, et rapta domum frumenta reportant.  
 Tunc aliis, camera repleta fascibus altis,  
 Inflammatis testum, supponit lignaque flammis.  
 Sunt tamen in camera cancelli, lina cauentes  
 Ne tangant flammis feruentes forte caminos.  
 Testi sic tota torrentur nocte rogali  
 Flamma, dum serui veniant, simul atque diescit,  
 Et sensim cameris exportent lina perusta,  
 Nam non cuncta simul familis efferre licebit,  
 Ne fiat membrana tenax feruore remisso.

- Flachs bre-** Postea, quando volunt sic tostum frangere linum,  
chen. Frangibulum grauius saxonum pondere reddunt,  
Ne possit cedens celerem prohibere laborem.  
Sed quae frangibili sit vis, quae forma figurae,  
Vos forsan scitis, loquererque superflua verba,  
Si demonstrarem, quod sit directa tabella,  
Rimis scissa tribus, pedibusque innixa duobus,  
In quam lina locant, quae cruda trahuntque mouentque,  
Cum tundit crebris stuparius istibus ista  
Malleus, extremo defixus fine tabellae,  
Qui, gemina gaudens acie, cum tunditur, ista  
Imprimit in rimas tabulae, frangitque premendo  
Caules, quo, fractis membranis, ipsa medulla  
Excidat e medio calami, quem viribus huius  
Malleoli didicere nurus contundere nostrae.  
Fractaque sic plaustris referuntur lina repletis,  
Afferuanda domi, donec feriantur in altis.
- Schwingē.** Ligno, consimili gladio, pendentia palis,  
Excidat ut, fractis membranis, fixa medulla.  
Et tunc ferratis linum depestitur hamis,  
Non secus, ac hominis pectuntur pectine crines.
- Hochelin.** Sed ne quem fugiat Vestrūm, quid pecten et hamis,  
Iam verbis paucis illius discite formam,  
Est lignum paruum, repletum dentibus altis,  
Per quos lina trahunt crebro, retrahuntque vicissim,  
Dum rude pectendo fiat tractabile linum,  
Et stupas dicunt, remanent quae in pectire denso.  
Quo lino baculum directum foemina vestit,
- Rocken.** Huncque colum dicunt, multae didicere puellae  
Qua tolerare colo vitam, vietumque parare  
Sed sic deuoluunt nendo sua pensa, puellae;  
Laeua colum lino molli custodit amictam,  
Motaque dextra manus retrahendo fila perite
- Spindel.** Attenuat digitis, cum fusum pollice prono  
Torquet, fila coli contorquens turbine fusi.
- Weise.** Sed, fusi plenis, voluunt circum alabra fila,  
Quae sumscere suum geminis quasi nomen ab alis.  
Post textor, sacuos inflammans igne caminos,

AK  
Td  
386

XVI

Vndis imimiscet cineres, et tradit alieno,  
Feruenti flammis lignorum, fila coquenda.  
Quod cum sic flammis aptauit et igne labori,  
Linum decoctum viuis nunc abluit vndis,  
Et siccata Phoebi radiis et flatibus aurae.  
Sicque agitant linum, facit ex quo linteal textor,  
Qui scit opus rerum variis ornare figuris.  
Hic etenim format radiis et pectine caelum,  
Illic pendente contextit in aethere terram,  
Atque elementorum series, et cornua lunae,  
Et cursum Phoebi, lapsum Phaetonis ab alto,  
Fila graues alibi caeli simulantia nubes  
Arte tument, illic piscesque videbis et aequor.  
**Werft** und **Dum** stamen rerum formis repleuerit omne,  
**Eintrag.** Cinxerit et fertis intextis, linteal secta  
**Bleichen.** Longis post lignis in agris extendit apricis,  
Quae sol candefacit, crebris sparsa imbribus vndas.  
Agros quando satis custodiuerre, coquuntur  
In lymphis calici mistis, sapone lauata  
Immisto lici. Sic dixi, carmine textor  
**Schifflein** **Vt** faciat radiis et pectine linteal denso,  
**und Ramm.** Utque nurus linum tractent, et turbine fusi  
Quomodo fila trahant, versata manusque puellae  
Callet in fusum grauidam convoluere pensa.  
Iam soluens grates tibi, docta corona virorum,  
Bajulet opto colum magnam tibi Clotho benigna,  
Fila neat Lachesis vobis adamantina vitae,  
Quae nec falx mortis, nec fata, nec Atropos occent,


\* \* \* \*

Nunc ad Vos, PATRONI ac FAVTORES, coram quibus iuuenes scholae nostrae craftina luce dicere cupiunt, accedo, diligenter ut rogitem, ne, quod maximopere et demisse a Vobis isti nostri petunt cupiuntque, velitis negare. Hac benevolentia vestra Vobis ego me singulariter ob-

strictum fore polliceor. Scr. Annab. d. I. Mart.

M D C C L I I I .

\* \* \* \*



B.I.G.

Black

AR. 532, 10.

B. m. I.

II d  
386

AD  
**PERFECTIONEM GERMANICAЕ LINGVAЕ**  
 QVOD TRANSLATIONES EX GRAECIS ET LATINIS IN HA  
 VERNACVLAM NOSTRAM MVLTVM VALEANT,  
 EXPOSIT,

SIMVLQVE  
 SVMME REVERENDVM  
 X 231 3054

**DOMINVM EPHORVM,  
 INSPECTORES RELIQVOS  
 INSIGNITER COLENDOS,  
 ALIOSQVE  
 BONARVM LITTERARVM FAVTORES,**

C V M

**CIVIBVS VRBIS,**

V T

**ACTVI ORATORIO,**

CRASTINA LVCE, AVDITA HORA IX. MATVTINA,

D. 11<sup>is</sup> MART. MD CC LIII.

HABENDO,

BENEVOLE INTERESSE VELINT,

QVA DECET OBSERVANTIA,

ROGAT ET VOCAT,

**ADAM DANIEL RICHTERVS,**

RECT. SCHOL. ANNABERGENS.

ET REG. SOCIET. REGIOMONT. TEVT. SODALIS.

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

\*\*\*\*\*

